



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensivm

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt VI. Gormo III. ... Haraldo IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](#)

C A P V T V I.

GORMO III. ab Historicis dictus VVormo, hoc est, Anguis: Rex Daniæ 64. Christianorum persecutor infensissimus, templum Heydebuie demolitus est; qui nulla ratione, neque coniugis precibus ad fidem & religionem Christianam conuerti potuit; ab Henrico imperatore (qui Marchionatum Slesvige & Denie limitem constituit, inq, eum finem castellum Oldenburg extrui curauit, & Marchioni attribuit, A.C. 925. cuius rudera adhuc supersunt) tandem victus & Nord-Albingia pulsus, religionem Christianam tolerauit: Obiit cæcus A.C. 934.

Henrico victus Gormo est à Cæsare Danus,
Accepta pacis conditione pari.

Tunc Vnni ut Danos doceat pia dogmata Præfut
Hamburgo venit Rege iubente fero.

A.C. 930.

HARALDO IV. successit Gormo, inimico, atque infenso erga religionem animo. (*Stadens. eum filium Hartervichi nominat.*) Nam simul atque Rex exortus esset, Christianos maximè persequi, & quibus potuit iniurijs ac molestijs afficere & vexare non destitit. Quam ob causam ab Historicis Wormo nominatur, hoc est, anguis, quod Religionem Christianam, Catholicamque Fidem ex Daniâ penitus exterminare, funditusque delere ac extinguere, omnino decreuisset, animumque induxisset. Quamobrem pios sacerdotes orthodoxosque Ecclesiæ Doctores, sua ditione ac regno pellere, multos etiam durissimis vinculis atque omni suppliciorum genere misere excruciatos, tandem quoque neci tradere non fuit veritus. Cum vero

tem-

templis ac delubris Idolorum cultum iampridem
abolitum, iterum restituere in animo haberet, tem-
plum in fundo Slesuicensi à Christianis erectum, tan-
quam Impietatis domicilium, ex imis demolitus est
fundamentis, *Saxone teste*. Quod ego de templo Hei-
debuensi accipiendum existimo, quod eius solum-
modo Historiæ meminerint. Sed & Nord-Albingiam
vastauit, Transalbinos & Frisos inuasit, eorumque
agros populatus est, quod nemo eius conatibus resi-
steret. Nam Conradus I. Dux Franconiæ, Cæsar,
Henrici Aucupis Antecessor, bello Vngarico & Bo-
hemico occupatus, vim illatam propulsare, & Imperij
subditos ab iniuria defendere non potuit. Quæ res
fecit, ut maiores sibi Spiritus Gormo indies sumeret,
miserosq; Christianos maiori confidentia ac liberta-
te atrocius ac crudelius oppugnaret. Mortuo Con-
rado Imp. Anno 919. cum septem annos Imperio
præfuisse, (qui odijs priuatis sepositis salutemque
publicam iniurijs priuatis anteponendo ante obitum
suaserat, ut Imperium commendaretur Henrico Au-
cupi nepoti Arnolphi Imperatoris ex filiâ Ludgardâ,
cui & per Fratrem Eberhardum insignia Imperij mi-
serat, adductus admiratione virtutis & sapientiæ
Henrici quod hunc solari afflictas, peneq; dirutas ac
collapsas Imperij res iterum subleuare ac erigere, pa-
triam quoque contra Barbarorum gentium furorem
ac insidias strenue ac fôrtiter defendere ac vindicare
posse, ex eius consilijs ac conatibus, arte militari ac
industria, rerumque gerendarum peritia (quam cum
hostem eum habuisset vsu iam satis & experientia es-
set expertus, sibi persuassimum haberet) Corolina
progenie extincta, Henricus Auceps, origine Saxo,
Othonis Magni Ducis Saxoniarum Filius, Imperator
designatus fuit, Anno 920. Is Slavis, qui Danis fœde-
rati erant, bellum primò intulit, & magnam eorum

partem concidit , reliquos Christo nomen dare, imperata facere , & tributum pendere coegit. Deinde Daniam magno cum exercitu ingressus, Gormonem primo impetu adeò perterrefecit , vt metu compulsus, se illius imperio submitteret pacemque supplex deposceret. *Adamus latè cap. 48. & Stadens. fol. 102. & Helmol. cap. 8.* Prælium illud prope Slesuicum ad Hexamilium commissum est. Quin & Vrbem Slesuicum florentissimam potentissimamque expugnando cœpit Henricus. Quo tempore & pacis conditiones à Cæsare oblatas acceptare , & inter alias concedere coactus fuit, vt Slesuici Marchio , hoc est, Dux limitaneus constitueretur , qui fines illos tutaretur , & ab iniuria & maleficio defenderet , quod à Danis illam Saxoniæ partem continuis incursionibus infestari ac desolari audiret, & re ipsa experiretur. Quin & conuenit , vt Slesuici, Imperij Romani limes esset , quod antea Eidora flumine terminabatur. (*Helmodus, cap. 9.* dum ait, *Fines Danorum*, qui olim fuerunt apud Slesvitic transgressus Otto. &c.) Ita Vrbs Slesuicum , quæ tunc Heidebu nominabatur, (*Adamo cap. 48. & Helmodo c. 8. teste,*) Saxonum Colonia constituta est, Gormoneque victo , & in gratiam, illis, quas diximus, conditionibus recepto , pax inter Imperatorem & Rēgem Daniæ est cōstituta. Quæ omnia à quodam Episc. Danorum viro cordato se verè accepisse , & fideliter Ecclesiæ tradidisse, refert Adamus c. 48. Quibus consentanea tradit Sigebertus, nimum Henricum viciſſe Danos , qui Piratica Frisones incursabant , atque etiam tributarios sibi feciſſe. Et Luitbrandus Ticinensis scribit, Henricum Imperatorem ea de causa maximè apud Italos claruſſe, quod Danos nulli antea subiectos , solus ipſe debellarit & tributarios fecerit. Verba Luitbrandi hæc sunt lib. 3. cap. 5. Henricus Slavorum gentem innumeram subiugauit , sibiq; tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subiugauit, sibiq; seruire coegit,

coegit, ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. Et cap. 13. Hugo Rex Henricum Regem fortissimum, multis collatis muneribus amicum sibi fecerat: cuius apud Italos nomen tunc maximè clarebat, quod Danos nulli antea subiectos, solus ipse debellaret, ac tributarios ficeret. Est enim gens indomita sub Septentrione in Oceano degens, cuius sauitiam multarum sèpe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes ferro & igne cuncta miserè laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas Ciuitates Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treueros, non longè à Rheno positas, nonnullasq; alias in Regno Lotharij debellantes, vi ceperunt, cunctisq; ablatis, ea quæ secum deferre non poterant, combusserunt. Theras etiam Grani Palatijs atque Palatia combusserunt. lib. 3. cap. 33. Idem tradit Witichindus libr. 1. fol. 18. de Henrico verba faciens, Quum autem omnes in circuitu nationes subiecisset, Danos qui nauali latrocinio Fresones incursabant cum exercitu adiit, vicitq; , & tributarios faciens, Regem eorum nomine Nubam (legendum Gormam) baptismum percipere fecit. Idem Withikindus libr. 3. in fine de Ottone. Populus, inquit, pro laude Ottonis mortui, & gratiarum actione multa loquutus memorauit, eum paterna subiectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Auaros, Sarracenos, Danos, Sclauos armis, viciisse, Italiam subiugasse, delubra deorum in vicinis gentibus destruxisse, templa, ministrorumq; ordines constituisse, multaq; alia in vicem conferentes, regali funeri insistebant. fol. 52. Limitem autem ea de causa Henricus Auceps Slesuicum esse voluit, & propter emporium, natura, situ, & potentia florentissimum & ditissimum, & multarum gentium conuentu frequens, (vt Pauli Aemiliij verbis utar;) quod intra munitiones retractum à Rege Godefrido, Henricus in suam ditionem potestate inque redegerat: & quod Slia fluuius vna cum Hexamilio Danos à Saxonibus planè segregaret &

diuideret, vsque adeò ut certiores & commodiōres si-
nes vel limites constitui nulli possent. Quos etiam ar-
ce vel castello communivit Henricus, cuius adhuc
vestigia tam aperta & evidentia non longè ab æde
Heidebuiensi supersunt, vt ea de redubitare nemo
possit. Vulgus *Oldenburgum*, hoc est, arcem veru-
stam, & rectē. Nam annos ab hinc sexcentos & sexa-
ginta, plus minus, ædificari cepta est. Sita autem fuit
arx in monte edito & excuso, qui adhuc hodie con-
spicitur; sed arbustis, fruticibus & spinis adeò muni-
tus & impeditus, vt ascensu difficultis sit. Etsi autem
arx illa vel munitio planè diruta & solo æquata est, vt
nec rudera quidem supersint, tamen fossæ adhuc tres
satis altæ & conspicuæ visuntur, quibus illa septa &
circumdata fuit. Sed & castrorum vestigia apparent.
Atque hæc munitio vnà cum vrbe Slesuico, Mar-
chioni vbi sederet, & præsidia haberet, attributa fuit.
Vnde constat fuisse Oldenburgum propugnaculum
totius Chersonesi Cimbriæ, & Ciuitatem Slesuicum
Cimbriæ metropolim & caput, vnà cum territorio
& agris à flumine Sliâ vsque ad Eidoram Imperio
Romano subiectam fuisse. Quod & Helmoldus benè
notauit.

C A P V T VII.

POStQVAM autem Gormo victus, & Dania
Imperatori tributaria facta esset, Vnno
(alij legunt Vnni Ad. c. 49. Helm. c. 8.) ex
Monasterio Corbeiensi an. Christi 917. ex-
ortus & electus, iam sibi aditum ad verbum Dei gen-
tibus publicandum, patefactum existimabat. Itaque
religionis propagandæ & amplificandæ amore, quo
flagrabat, omnem suam diœcesin peragrare & lustra-
re cœ-